

ita si sic imprimeretur alteri intellectui, redderet illum formaliter sustentantem illam qualitatem, non formaliter vitaliter operantem, et elicientem talem visionem, sicut si poneretur a Deo in lapide. Ut autem reddat videntem, debet reddere viventem per illam, et consequenter elicientem talem visionem, et ab intrinseco se moventem, et sic habentem in se intrinsece facultatem, et virtutem ad id faciendum. De veritate tamen dictæ opinionis nihil de termino in præsentia.

XXVII. Disputant hic aliqui de luminis gloriæ perfectione super omnes alias res naturales etiam substantias, et super alias formas supernaturales, sed hæc commodius in materia de gratia ad quæstionem cx, in 1-2 disquirentur agendo generaliter de perfectione gratiæ super alias res; currit enim fere eadem ratio pro lumine gloriæ. Videatur m. Gonzalez hic.

## DISPUTATIO XV.

DE ACTU DIVINÆ, ET BEATIFICÆ VISIONIS.

## ARTICULUS I.

*Utrum necesse sit attingi per visionem Dei omnia, quæ formaliter sunt in Deo, attributa, personas, etc.*

I. Supponit titulis articuli beatos de facto videre omnia, quæ in divina essentia sunt tam quoad attributa, quam quoad personas. Utrumque complecti videtur Scriptura illis verbis Joan. III: *Videbimus eum sicuti est.* Quod explicare videtur Concilium Florentinum in litteris sanctæ unionis dicendo: « Quod animæ quibus nihil purgandum superest intuentur clare Deum trinum, et

unum sicuti est. » Itaque particula illa sicuti est, explicatur a Concilio, quod sit videre Deum trinum, et unum, id est, quoad personas, et quoad unitatem essentiæ, quæ constat ex attributis. Præterea significatur in Scriptura illam visionem attingere ea, quæ in hac vita per fidem tamquam per auditum cognoscuntur, Psal. XLVII: *Sicuti audivimus sic vidimus in civitate Domini virtutum.* Hic autem fides non solum attributa, sed et personas audit, seu credit. Dicitur etiam futura illa visio ita plene de Deo, sicut modo nos sumus cogniti, I ad Corinth. XIII. *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum,* non ergo remanet aliquid in Deo, quod non cognoscatur, sicut in nobis nihil est, quod non sit cognitum, alioquin si aliquid de Deo remanet non cognitum, cognoscetur tunc ex parte, et non ex toto. Et in hoc fit comparatio in visione Dei ad cognitionem qua nos sumus cogniti, scilicet quod utraque cognitio non sit ex parte, sed quoad totum, licet non totaliter, et omni modo ex parte Dei, quia non comprehenditur. Denique, Joan. XVII, dicitur: *Hoc est vita æterna ut cognoscant te Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* Ubi licet duæ Personæ tantum exprimentur, scilicet mittens, et missa, eadem tamen ratio est de tertia Persona quæ licet non miserrit secundam Personam Filii, quia non emittit ex se illam, misit tamen Christum quoad humanitatem. Et Joan. XIV: *Qui videt me, videt et Patrem.* Videntur ergo Personæ in visione beata, et omnes tres videri Concilium, in citatis verbis dicit scilicet: *Videri Deum Trinum, et unum sicuti est.* Quare quod aliquibus auctoribus attribuitur, quod non omnia attributa videantur a beatis, ut Ocham, Richardo, et aliis, non tamen clare loquuntur, nec viden-

tur loqui de attributis, prout formaliter in Deo, sed secundum eminentiam qua tangunt omnes creaturas, ita quod comprehendantur.

II. His suppositis tota difficultas est, an de potentia absoluta possit aliquid istorum videri in Deo sine alio, v. g. unum attributum sine alio, vel essentia sine Personis, aut una Persona sine alia. Et quia in his quæstionibus de potentia absoluta, reducitur tota difficultas ad assignationem implicationis, vel destructionem ejus, oportet videre ex qua parte implicatio ista stabilienda sit. Potest autem ista implicatio sumi ex triplici capite, seu triplici conditione, quæ in ista visione concurrunt, ex quibus necessario sequitur quod debeat videre, et omnia attributa et omnes Personas. Est enim illa visio intuitiva Dei, est quidditativa respectu prædicatorum quæ in Deo sunt; et est beatifica reddens intellectum in ultimo fine suo quietum. Et videndum est, an omnes istæ rationes, vel aliquæ illarum sufficiant reddere implicationem istam.

III. In hac ergo parte est satis celebris sententia, quæ affirmat implicare contradictionem quod videatur unum attributum sine alio, vel divina essentia sine Personis aut una Persona sine aliis. Ita D. Thomas locis postea citandis, et sequuntur communiter omnes ejus discipuli, et multi alii theologi, qui citantur apud m. Gonzalez hic disp. XXXII, sect. I et II, in cursu Carm tract. de vision. disp. VII, dub. II, et apud Suarez, lib II de attributis negativis, c. XXII, Vasquez, disp. XLVIII, capit. II.

IV. Secunda sententia simpliciter docet posse videri unum attributum sine alio, vel essentiam sine Personis, ob distinctionem virtutalem, seu formalem ex natura rei; quam agnoscunt inter ista, ut Scotus in I, dist. I, q. II, et ibi discipuli

ejus. Quidam tamen etiam rejiciendo illam distinctionem, et affirmando sola ratione distingui, adhuc affirmant non implicare, quod videatur unum attributum sine alio, vel essentia sine Personis. Ita p. Granados, tract. III de visione, disp. V et VII, sect. II. Et de Personis idem docet Ægidius a Præsentatione libro V de beatitudine, quæstione XIV, articulo III, §. III Salas, et alii quos citat Alarcon hic tract. de visione, disputatio IV, cap. II.

V. Denique, alii, ut hæc omnia componant distinguunt de visione Dei, ut præcise est intuitiva, vel ut etiam est quidditativa, vel ut beatificativa, distingui enim et separari posse rationem notitiæ, ut intuitivæ, et ut quidditivæ manifeste docemur in sensu externo, qui sua objecta attingit intuitive, et non quidditative. Dicunt ergo ex eo præcise quod illa visio sit intuitiva non deduci implicationem, quod repugnet videri unum attributum sine alio, vel essentiam sine Personis, quia intuitio ut talis non respicit quidditatem, si vero loquamur de illa visione, prout quidditativa, vel beatifica, sic repugnat unum attingere, et non aliud. Ita P. Alarcon, loco citato. Quidam etiam distinguunt de visione illa, ut pure apprehensiva est, vel etiam ut judicativa. Et dicunt quod ut apprehensiva, quia sic intuitiva est, repugnat videri essentiam sine Personis, ut judicativa autem posse unum judicari sine alio. Quod attribuitur m. Soto in IV, dist. XLIX, quæst. III, articulo III, conclusio II. Sed tamen Soto non loquitur de judicio formato intra visionem beatificam, quia hæc intrinsece est judicium de omnibus quæ videt. Et sic docet ibidem, quod per visionem beatam necessario fit judicium de Personis simul cum essentia.

VI. Notandum, quod attributa, quæ in Deo sunt unica simplicissimi-

ma res, quædam sunt omnino absoluta, et tantum in ordine ad se, ut infinitas, immutabilitas, etc. Quædam sunt quidem absoluta ex parte Dei, sed tamen non sistunt in Deo, sed versantur circa creaturas tamquam circa effectus, et materiam de qua disponunt. Et licet non pendeant a creaturis, nec realem relationem ad illas dicant, tamen creaturæ ita pendent ab illis, ut eminentia eorum super creaturas, circa quas versantur explicari sine creaturis saltem de connotato non possit, sicut omnipotentia, providentia, dominium, etc. Nam Deus per eminentiam circa creaturas habet quidquid creata potentia, et causa per dependentiam. Et constat quod Deus ut incarnatus, et unicus humanæ naturæ intelligi non potest sine extremo assumpto, et ordine ad illud, non tamen cum relatione reali ad illud, sed rationis.

VII. Dico ergo primo: Implicat Deum videri immediate ut est in se, quin videantur omnia attributa, et Personæ, et quidquid formaliter in Deo est. Hæc sine dubio est sententia Divi Thomæ, qui semper explicat hanc sententiam per impossibilitatem contrariæ. Et quando Divus Thomas absolute affirmat aliquid esse impossibile, et id deducit ex natura ipsius rei, loquitur de impossibilitate absoluta, et quæ contradictionem involvit. Sic autem docet D. Thomas III part. quæst. III, artic. III, ubi inquit: « Quod intellectus dupliciter se habet ad divina, uno modo ut cognoscat Deum sicuti est, et sic impossibile est quod circumscribatur per intellectum aliquid a Deo, et quod aliud remaneat, quia totum quod est in Deo est unum salva distinctione Personarum, quarum tamen una tollitur sublata alia, quia distinguuntur solis relationibus quas oportet esse simul. » Quæ auctoritas loquitur generaliter de omni

eo quod est in Deo, sive sint attributa sive Personæ. Specialiter autem de Personis dicit 2-2, q. II, art. VIII, ad III: « Quod Deus secundum quod intelligitur in se ipso prout videtur a beatis, non potest intelligi sine Trinitate Personarum. » Quomodo vero viso toto quod est in Deo, et non subtracto aliquo quod non videatur, non dicatur Deus comprehendendi, explicat in hac quæstione artic. VII, quia licet totus Deus videatur, non tamen totaliter, nec sub omni modo exhauriendo omnem cognoscibilitatem ejus, de quo aliquid dicemus sequenti assertionem, et latius infra articulo ultimo. Sentit ergo Div. Thomas non solum de facto beatos videre totum, quod formaliter est in Deo, sed etiam esse impossibile quod id non videant, eo quod est visio Dei sicut est in se, et quia totum quod in Deo est, indivisibile, et unicum est.

VIII. Fundamentum hujus implicationis sumitur ex illo triplici capite supra assignato scilicet quia ista visio est intuitiva, et immediata Dei in se, et non mediante aliquo effectu in quo contineatur, sed immediate attingit ipsum actum purum in se. Secundo, quia est quidditativa. Tertio, quia est beatifica.

IX. Ut prima implicatio explicetur, oportet bene advertere quod visio intuitiva Dei in se non debet judicari ex communibus rationibus intuitivæ cognitionis, sed exigit specialiter duas condiciones in Deo, quæ non eodem modo se habent in creaturis, alteram ex parte medii, alteram ex parte rei visæ. Ex parte medii, quia visio intuitiva rei creatæ fieri potest per aliquod medium, ut patet in visu externo, qui videt rem non sibi conjunctam, sed distantem per medium per quod species emittuntur, scilicet per aerem. Et ratione hujus quia medium potest turbari, vel obscurari, contingit

dari visionem intuitivam cum aliqua imperfectione, et obscuritate, et certificari per illam de aliquo prædicato, et non de alio, verbi gratia certificari quod sit corpus, et non quod sit virtus, aut quod sit animal, et non cujus speciei, etc. Remoto autem omni medio visionis, sicut removetur in visione Dei, qui in se ipso immediate videtur, et non per aliquem effectum, seu medium non potest obscurari, vel turbari, hæc visio ut videatur ratione illius unum prædicatum, et non aliud, sed vel totum conjungitur potentia per se ipsum vel nihil.

X. Ex parte autem rei visæ est differentia inter Deum visum, et creaturas, quod creaturæ sunt res compositæ sive physice sive metaphysice, et non quodlibet prædicatum, vel pars aut extremum componens est ipsum totum, sed sunt partes, vel prædicata limitata, quorum unum limitatione sua discernitur ab alio. Et ideo potest stare quod videatur unum, et non aliud, quia ipsa limitatio, et distinctio occasionem, et locum ad id præbet. At vero Deus est actus purus carens omni compositione et parte. Unde non stat videri aliquid Dei, et non videri totum quod in Deo est, quia illud aliquid quod videtur vel est actus purus, vel potentialitatem habet. Si habet potentialitatem, est ens creatum et non Deus nec perfectio divina. Si est actus purus, jam videtur ut ens a se, et omnem continens perfectionem, et sic totum quod in Deo est videtur, quia actus purus ad nihil est in potentia, sed omnem perfectionem actu exhibet. Et sic idem est videre unum attributum ut in se, id est, ut actum purum, et videre totum, seu omnia, quæ in Deo sunt. Nec videre sapientiam ut est in Deo, est videre solum sapientiam, seu supersapientiam, id est, sapientiam quæ est actus purus

et sic omnem perfectionem completens; unde videre illam, est videre omnem perfectionem.

XI. Ex his ergo declaratur implicatio fundata in visione intuitiva, quatenus intuitiva est Dei in se, quod repugnat videri Deum in se, et aliquid quod formaliter in Deo sit, et Deus sit non videri, quia quælibet perfectio, quæ in Deo est, et prout in Deo est, totus Deus est, ergo repugnat videri intuitive aliquid Dei, et non totum Deum, quia quælibet perfectio hoc ipso, quod est divina, et actus purus est totus Deus, et totum quod est in Deo, cum ad nihil perfectionis sit in potentia, implicat ergo de actu puro videri aliquid, sicut est in ipso, et non videri totum quod est in ipso. Nec potest hoc ab extrinseco impediri, aut occultari, quia per nullum medium videtur, sed per ipsum Deum, et per ipsum actum purum videtur Deus, ergo non est aliquid per quod representatio illa Dei modificetur, aut obscuretur, et quod aliquid lateat, et aliud manifestetur, ergo etiam ex ipsa ratione extrinseca medii, per quod fit applicatio, est repugnantia, quod videatur aliquid, et non totum quod in Deo est.

XII. Unde solutæ manent omnes sententiæ, quæ a p. Granados, et Alarcon, adducuntur ubi supra, quia scilicet bene stat videri aliquid intuitive, et non quidditative, et videri aliquod prædicatum sine alio, verbi gratia ratio coloris cum videtur a longe, et non ratio specifica talis coloris nec cognosci relationem quam habet ad Deum, ut effectus ejus, aut passiones quas habet in ratione entis, et alia similia, et tamen videtur intuitive ipse color, et ipsum ens creatum, ergo salvatur intuitiva visio sine hoc, quod omnia prædicata ad rem illam pertinentia videantur, idem ergo dici potest de intuitiva visione respectu Dei. Sed

respondetur ex dictis quod totum hoc est verum in cognitione intuitiva rei creatæ, præsertim in sensitiva externa, in qua ratione medii potest aliquo modo velari, aut impediri perfecta intuitio, omnium eorum, quæ in tali objecto sunt. Sed etsi medium sit omnino expeditum, et liberum, tamen quia in re visa distinguuntur pars, et totum, prædicatum inadæquatum, et essentia adæquata, quia in uno prædicato, non omne quod est in alio continetur, ideo potest intuitiva visio esse de uno prædicato, et non de omnibus quæ in objecto sunt, nec est necesse quod cognitio intuitiva sit quidditativa. Quod totum secus accidit in Deo, in quo si videatur aliquod prædicatum, vel aliqui Dei, totus Deus videtur, quia illud prædicatum etiam in se sumpsum est actus purus, et divina entitas, et consequenter omne bonum, et omnis perfectio, ergo illo viso, ut est in se, et non ut præscinditur a me, vel ut relucet in effectu, necesse est videre omnia, quæ in Deo formaliter sunt. Ex parte etiam medii nihil est quod impediatur vel turbet hanc visionem, ut faciat minus apparere vel obscure de eo quod formaliter in Deo continetur, quia Deus immediate conjungitur intellectui per se ipsum, et non per aliquam speciem, vel imaginem, aut medium creatum quod non sit Deus, et sic non potest ex hac parte aliquid latere de Deo, et aliquid apparere, ergo implicat ex omni parte videri Deum, et non omnia quæ in Deo sunt formaliter.

XIII. Et ex hac ratione etiam deducitur implicare quod videatur in se, et non videatur omnes Personæ. Licet enim intuitiva cognitio, prout invenitur in creaturis, non requirat de necessitate intuitionem ipsius subsistentiæ in se, sed sufficit videre effectus ejus, verbi gratia, quod videatur incommunicabi-

litas ejus, et terminatio naturæ existentis in se, sicut in humanitate Christi, quam homines, et dæmones intuebantur, non videbant subsistentiam ejus in se, quia hæc divina erat, licet viderent illum hominem ad modum aliorum hominum se habere in incommunicabilitate et existentia per se, et a simili quantitas videtur in eucharistia, et non videtur ejus inhærentia; sed tamen intuitiva cognitio Dei, non minus debet videre attributa quam Personas, eo quod pertinet ad divinam eminentiam et infinitatem habere personalitates illas, et illæ personalitates sunt ipsa substantia Dei, et ejus entitas, et ad ejus perfectionem pertinet eas habere, ergo quantumcumque dicantur esse modi, vel termini, tamen si isti termini sunt quid inclusum in ipsa divina entitate, et in ratione actus puri, non stat videre rationem actus puri, et non videre hoc quod pertinet ad perfectionem ejus, et est ipsa ejus substantia non minus quam reliqua attributa, si quidem relationes illæ substantia Dei sunt, ergo sicut qui videt aliquid de substantia Dei, videt totum, quia in actu puro idem est pars, et totum, etiam videt personalitates, quia hæc pertinent ad ipsum totum, et substantia ipsa sunt actus puri.

XIV. Et præterea, quia non stat videri intuitivi divinam naturam, et non videri ejus existentiam eo modo, quo invenitur in Deo, scilicet quod sit existentia per se, et non in alio, et quod sit personata seu suppositata, et non communicabilis sicut anima. Pertinet autem ad incommunicabilitatem, seu suppositionem divinam ut sit relativa, et non omnino absoluta, ita quod sit distinctiva Personarum sine divisione, et distinctione naturæ. Quare sicut intuitio Personæ petit ex natura sua videre incommunicabilitatem

tem ita limitatam, quod naturam ipsam dividat, et separet ab altera natura, ita pertinet ad intuitionem personæ infinitæ videre incommunicabilitatem Personæ respectu alterius Personæ cum identitate, et sine distinctione naturæ, in quo consistit mysterium Trinitatis. Si ergo pertinet ad intuitionem illius substantiæ videre ipsam ut existentem per modum personæ, et cum incommunicabilitate, oportet ad salvandam intuitionem, quod videatur illa incommunicabilitas, et distinctio personalis sicut est, scilicet quod sit relativa, et faciens distinctionem in Personis sine aliqua divisione in natura. Relativa autem Persona intelligi non potest, nisi ad aliud, et sic oportet intelligi per intuitionem non unam tantum, sed plures Personas. Nec sufficit videre duas, quia licet Pater formaliter solum importet relationem ad Filium, et Filius ad Patrem, tamen radicaliter important relationem incommunicabilem etiam ad Spiritum Sanctum. Unde non potest intelligi relatio Patris, ut adæquate reddens eum incommunicabilem, solum respectu Spiritus Sancti, et hoc in quantum spirator saltem radicaliter, et similiter Filius. Unde non possunt intueri, et videri duæ Personæ, et non tres.

XV. Secunda implicatio sumebatur ex eo quod illa visio est quidditativa Dei, et non præcise intuitiva. Imo in Deo non potest separari, hoc quod est esse intuitivum, et quidditativum, nec in hoc loquuntur coherentem, qui negant posse videri essentiam sine Personis, concedunt autem id non repugnare ex eo, quod illa visio intuitiva sit. In creaturis enim in quibus existentia non est prædicatum essentiale, sed contingens, non mirum quod separari possit notitia intuitiva a quidditativa, sicut aliud est existentia, aliud

quidditas. In Deo autem existentia est prædicatum essentiale, et ipsa quidditas Dei. Unde non potest esse intuitiva circa existentiam quin sit etiam quidditativa. Item quia videndo Deum sicuti est, et immediate in re, non potest videri aliquod accidens in Deo, quia nullum accidens in Deo est. Ergo videtur ipsa substantia, et essentia Dei, aut nihil videtur. Sed non potest videri essentia divina quantum ad aliquid, et quantum ad aliquid non videri, quia hoc non esset videre divinam essentiam sicut est in se constituta, sed potius sicuti non est in se, ergo oportet quod ista visio attingat omnia prædicata quæ essentialia sunt Deo, et ejus essentiam constituunt, omnia autem quæ formaliter Deo conveniunt, essentialia sunt illi, quæ enim formaliter Deo conveniunt sunt entitas increata, et actus purus, nihil autem quod est actus purus convenire potest Deo accidentaliter, aut contingenter, quia nihil tam essentialiale, et intrinsecum Deo, quam quod est Deus, seu divina entitas, ergo quæcumque attributa, et quidquid formaliter Deo convenit in ejus quidditate includitur, ergo visio quidditativa Dei omnia illa debet attingere, si quidditatem attingit. Et hæc ratio convincit etiam de ipsis Personis, quia licet videantur non pertinere ad conceptum quidditativum Dei, eo quod tota quidditas, et essentia communicatur uni Personæ, nec tamen communicatur personalitas, tamen hoc ipsum postulat quidditas divina, quod in se habet relationes, quæ sint ipsa substantia Dei, et non communicentur, sed opponantur inter se relative, et tamen tota substantia in ratione substantiæ communicetur, et in relatione relative oppositionis non communicetur. Ergo licet sic in re communicatio fiat sub una ratione, et non sub alia, tamen qui videt to-